



# Disputatio politica de subditis sexti gradus, hoc est, artificibus & opificibus

<https://hdl.handle.net/1874/340903>

DISPUTATIO POLITCA,  
DE  
SUBDITIS SEXTI GRADUS

HOC EST,  
ARTIFICIBUS & OPIFICIBUS.

Q V A M.  
Fayente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI,  
Lib. Art. Magist. & Philosophiaæ Practicæ atque  
Eloquentiæ in Almâ Ulrajectinâ Professoris, ac  
p. t. Rectoris Magnifici,

Publicè defendere conabitur,  
JOHANNES WILHELMUS WEIDNERUS,

*Ad diem 12 Decemb: horis locoq; solitis.*



ULTRAJECTI,  
Apud IOANNEM à VVAESBERGE,  
Anno M D C X L V I I I L.

*Amplissimis, Nobilissimis, Con-*  
*sultissimis Viris,*  
DD. CONSULIBUS, SCA-  
BINIS, SENATORIBUS, SECRE-  
TARIIS, INCLYTI NEOMAGI,  
D. MECOENATIBUS & PATRO-  
NIS,

*Opt: maximis, & maximis o-*  
*ptimis,*

Primitias hasce studio-  
rum suorum

*Humiliter*

Offert, dicat, dedicatque

*JOH. WILHELMUS WEIDNERUS*

Resp.

# DISPV TATIO POLITICA,

D E

## Subditis Sexti Gradus,

Hoc est,

Artificibus & Opificibus.

### T H E S I S I



Rdinem Mercatorum , in Ordine Subjectionis , coexcipiunt Artifices , & Opifices , quorum ordo & ipse haud supervacuus supernumerarius in Republicâ . Quamvis enim vel ab ipso et Platone excludantur à re civitatis , cuius hęc circumfertur lex , ne civium quisquam ulli opificio navet operam , jamque olim manuarii opifices exclusi sint à Republicæ honoribus , antequam summa rerum devolveretur ad plebem , adeoque nec Lycurgus in suā Republicâ opificibus locum dederit , sed nec Romulus & Numa , de quorum instituto non licuit civibus opificia & sellularias artes exercere , quæ servis committebantur , ne quid in Rempublicam moliri possent , hiquę apud Scythas quoque , & Persas , Lydosque , pro ignobilioribus sint habiti , quo aspectu Cicero eos secem civitatis vocat , eò quod horum , non tam artes quām operæ , emantur , in quibus ipsa merces autoramentum servitutis , aquę judicis sellā eosdem arceat Ecclesiastes : Melchior Iunius quæst: Pol:61: Tamen , sicut manus & pedes in corpore humano , ita hi in Republicâ perquam necessarii , interquę si minus cives , minimum subditos , quin immō & cives , cum Libye Aegypti reginā numerandi , sicut manus & pedes inter membra . I. Quia ordo eorum in suo genere est honestus , ut qui probetur , non tantum in Codice Sacro , sed etiam

in Codice Civili. In Codice Sacro. Ita enim inquit Scriptura :  
Qui gloriatur in jaculo, omnis faber & architectus, qui no-  
strum tanquam transiit, faber ferrarius, sedens juxta incudem,  
figulus, convertens pedibus suis rotam, unusquisque horum  
in arte suâ sapiens , sine his omnibus non ædificatur civitas.  
*Eccles: 28.* Eadem scriptura testatur, Beſaleēlem quendam vo-  
catū esse à Deo, & spiritu ejus fuisse impletū, sapientiā, inquā,  
scientiā, & doctrinā, omni in argēto, auro, ēre, & ferro, sculpē-  
dis lapidibus, atque opere carpentario , quicquid faber inve-  
nire potest. *Exod: 25.* In Codice Civili, ut in quo nomina-  
tim recensentur artifices , architecti, pictores, statuarii, alii-  
qué complures, si fides Iunio citato loco. Alexander certe  
Severus artium omnium corpora instituit, non paucis immu-  
nitates largitus. Atque adeò extatqué lex de excusationibus  
artificum, in hæc ferē verba : Artifices , per singulas civitates  
morantes, ab universis muneribus vacare præcipimus, quo-  
niam descendis artibus ocium est accommodandum, quò ma-  
gis cupiant & ipſi peritiores fieri, & suos filios erudire. Cur  
tam ampliter, si non est honestus ordo ? II. Quia idem peru-  
tilis & pernecessarius. In omni quippe Republicā bone consti-  
tutā sex requiruntur, arma, quæ milites tractant, divitiæ, quæ  
opulentos spectant, sacra, quorum sacerdotibus eura manda-  
tur, judicia , quæ magistratibus cordi sunt, alimenta, quibus  
agricolæ inserviunt, denique instrumenta varia, quæ artificum  
sunt. Hinc Athenis juvenibus, postquam ad pubertatis annos  
pervenissent, laudabili instituto proponebantur publicè varia-  
rum artium instrumenta, quò in eâ arte institueretur, cuius in-  
strumentis maximè delectarentur: Quin immò Solon legē tulit,  
ne filius patrem alere cogeretur , qui non docuisset eum ali-  
quam artem. Cur tam enixè, si non utilis & necessarius artifi-  
cum ordo in Republicā? Si non utilia & bis necessaria artificia?  
Quæ nonnulli reges, vel exercitii causâ, vel valetudinis ergò,  
vel etiam propter utilitati conjunctam necessitatem haud o-  
biter tractarunt , ut D metrius Poliorcetes , Albertus Au-

strius, alii. Sanè haud parvum periculum hoc ipso nomine  
incurrendo incurrerunt Iudæi, cùm nullus faber ferrarius es-  
set in Israele, uti legerequē est 1 Reg:13. Sed & hactenus pro-  
dest hic ordo publico, quod ex eo optimi milites leguntur,  
præsertim ex fabris ferrariis, carpentariis, & universè iis, qui  
mascula opera tractant. *Idem ibidem. Timplerus lib: I. Polit: cap:  
5.q.15.*

### I I

*E*st ergo Artificum & Opificum ordo, quorum illi ab arte, artuvē,  
bi verò ab opere, denominationem accipiunt, in bene lineaṭā civitate,  
perquam ut honestus, ita utilis, & necessarius. Isqué in quadruplici  
differentiā fere. Vel enim horum opera sunt τεχνῶται, artificiales  
& artificiose, vel εὔνοοται, sordidae & sordidae, vel δειλῶται,  
serviles immo servae, vel denique αὐτούτοι, ignobiles, immo dege-  
neres.

### I I I

Artifices & Opifices, quorum opera sunt τεχνῶται, sunt cùm  
aliis, tam hi: Pictores, Fictores, Sculptores, Fusores, Structores, Salta-  
tores, Gladiatores, Histriones, denique Phrygones & Plumarii. Di-  
cuntur τεχνῶται, quia in his multum artis, & nihil vel pa-  
rum fortunæ, quales operæ Venatorum, Pilatorum, Aucu-  
pum.

### I V

Pictores, ut hinc potissimum incipiam, dummodò quod  
conducet Reipublicæ, sequantur, noxiaqué moribus relin-  
quant, non non locum habent suo loco in Republicâ. Olim  
certè pictura eo fuit in precio, ut in artium liberalium gra-  
dum reciperetur, eò quod eruditio[n]em præ se ferret ma-  
gnā, & commerciū quid haberet cum Oratoriâ ac Poëticâ, un-  
de tacens poësis, & contrâ poësis loquēs pictura indigetatur.  
Usque adeò magni n[on] magni ingenii, rerum atque animalium  
species mente sic concipere, ut penicillo exprimantur! Ne  
dicam, ad climata & studia mundi tabulis delineanda hanc  
ipsam n[on] potenter prodesse. *Tholosanus lib: 15. de Rep: cap: 1.*

sect. 9. Patricius de Regis Inst: lib: 1. tit: 10. & de Rep: lib: 3. tit: 14. Huc referas licet Fictores, qui fingunt, Sculptores, qui sculptunt, Fusores, qui fundat, illi ex cerâ, isti ex ligno, hi ex ære marmoreve. Fungi quippe propriè dicuntur, quæ è materiâ molli, iisq; rebus, quibus facile est figuræ indere, in statuas formantur, efformantur, sculpi verò atq; cælari, quæ è durâ, fundi porrò, quæ ex utrâq;. V

Structores sive Fabri, & ipsi non negligendi in Repub., quoniam hos cōmendat ipse Deus, eò quod sine iis civitas cōmodè extri muniri queat, aut arma ad bellum parari. Vnde non puduit Ulysses se fabrum profiteri apud Homerum. Si fabri, non posthabendi. Ergo multò minus architecti, qui nihil ipsi operantur, sed tantum præscribunt operas atq; opera operis, contrà quām faciunt fabri, quorum nomen perquam generale, & ex adjectione ferè solet distingui. Arnæus Doct. Polist.

Pag 325.

### V I

Saltatores sequuntur, quorum opera & ipsa artita sive artificiosa, ideoquæ toleranda in Republicâ, dummodò hæc eorum opera non sit infamis, qualis saltatio histrionica, & gestularia seu mimica, Ionicaquæ, nominatum ἐνεργειαστὴς οὐ πόδες, & ea, quæ est generis Epicœni, quæ ἀθροούμενη dicitur, contradistincta à solitaria, qualis religiosa, militaris sive Pyrrhica, & Gymnastica communis, quæ non videtur improbanda P. Martyri, quoniam agilitas corporis Dei donum, siquæ corpus ordine ac numero, cumquæ decoro, moveatur, hoc non videtur posse vel debere reprehendi, modò in tempore, moderatè, ac citra offenditionem fiat. Quemadmodum enim canere licet artificiosè, ita & saltare. Clasi: 2. Loc: Commun: cap: 11. Verum ego, quemadmodum hic ἀπέχω, ita ἀπέχω, ἀπέχω!

### V II

Gladiatores proximè jungo saltatoribus, quoniam horum exercitium artis, neque improbum per se, sed probum & probandum, ideoquæ retinendum in Republicâ. I. Quia, quem-

quemadmodum necessaria in civitate , ad animum & mores conformandos quæ faciunt, ita etiam , quæ conferunt ad exercitationem corporis. Talis namque esse debet institutio ci-vium, ut non animo tantum, verum etiam corpore, opem ferat Republicæ : Atqui arte gladiatoriā interveniente corporis robur augetur, aucto calore dilatantur membra , maximè in adolescentibus, valetudo conservatur, dum humores crassi cōsumuntur, totumqué insuper corpus induratur. Sed & aliter civibus consulit gladiatoria, dum cives ruentes in se adverfari os, arte magis , quam viribus, sustinere docet , uti premere cedentes, ita cedere prementibus, denique se, caput, corpus, vitam, fortunas, si ita fors ferat, tueri, non solo ferino robore, sed adhibito pro re sapientiæ sale. II. Quia per gladiaturā alacritas in studiis litterarum excitatur , relevaturqué fastidium. III. Quia pro gladiatoriis stant senatus consulta pariter & edita, nominatim Atheniensium , Spartanorum , Romanorum , Alexandri Severi Imperatoris, & aliorum complurium. Melchior Junius Quæst: Polit: 53. Tholosanus lib: 15. de Rep: cap: 1. Sub gladiatoriis comprehendo Lanistas, Athletas, Pa-læstritas, Pugiles, cognatos artifices.

### V I I I

*Histriones* quod attinet, complectimur hoc nomine , non tantum Ludiones Scenicos , qui ad tibiae sonos motus edebant compositos, sic dictos, vel ab Histro, vel ab historiā , eò quod historias & res gestas saltando demonstrarent, quorum licentiam nonnihil aluit Augustus, repressit vero Tiberius, qui eos totâ Italiam exegit, inque vincula duci jussit fautores eorum : Sed & Pantomimos, qui saltantes gestu pro voce utebantur, manibusqué verba expediebant, clavis faucibus , & loquente gestu , de quibus decreta patrum maximè insignia: Ne domos pantomimorum senator introiret , neu egredientes in publicum equites Romani cingerent, nevē alibi, quam in theatro , spectarentur, ipectantiumque mmodestiam exilio multandi jus esset prætoribus : Quin im-

mò & Tibicines istos circumforaneos qui frusto panis ad cantandum se conduci patiuntur, quos in infamium loco habent Canones, non propter Musicam, sed quòd eā ad turpem quæstum abuterentur, dumqué chordas, ut olim dicebat Diogenes Cynicus, benè temperant, mores animi distemperarent. Dico circumforaneos. Neque enim tibiarum & tibicinum usus in Republicā improbandus, sed abusus tantūm. *Arniseus in Doct: Polit. Patricius lib: 2. de Regn: & Reg: Instit: tit: 15. Schonborner lib: 3. Polit: cap: 52.*

## P X

*Phrygiones succedunt sive Acupictores, & Plumarii, quorum illi sic dicti, quòd acu pingerent, & vestes auro intexerent, quam texturam primi invenēre Phryges, hi verò non tam à plumâ, quæ materia plumarii verius, quam instrumentum, quam à plumando, eò quòd vestimenta ex plumis avium conficerent, quo genere prisca luxuria delectata est. Idem ib: cap: 47. Sed ars hæc plumaria, magno Reipublicæ commodo, desita scilicet apud nostros.*

## X

*Atque hæc opera artificum texuūt̄, quæ arte constant: Illæ casu magis, ita interim, ut aliquid includant artis, sed aliquid, ut sunt opera Venatorum, Piscatorum, Aueupū. Quibus tamen & ipsis locus in Republicā, tum ob necessitatem, tum ob utilitatem, jucunditatemque, ita tamen, ut Ius Gentium, quod variè coangustavit Ius Civile, non nimis rigidè urgeatur, exerceatur vñ. Schonborner lib: 3. Polit: cap: 46.*

## X I

*Artifices & Opifices, quorum opera sunt Garu Colarii, sunt cum aliis, tum illi: Fabrii Ferrarii, Lignarii, Carpenterii, Murarii, Coementarii, Cerdones, Coriarii, Pelliones, Textores, Pannifices, Fullones, sive Mangones, Tinctores, Infectores, Sutores, Veteramentarii, Vidi-marii, Lanones, Fartores, Molistores, Pistores, Coqui, Naute, Pharmacopæi, Pharmacopola, Pigmentarii, Aconitarii, Vnguentarii, Chirurgi, Barbitoniores, Vitriarii sive Fusores Vitri. Dicuntur Garu Colarii, quia*

quia iis corpora tractantium sedantur, inquinantur, aut lē-  
duntur.

X I I

*Fabri Ferrarit, Lignarii, Carpentarii, Murarii, Cæmentarii,* omnes in sordido opificio versantur, alii magis, alii minus, omnes tamen, ad aurarium, argentarium, & vascularium usque fabrum inclusivè, si minus materialiter, minimum concomitantem.

X I I I

*Cerdones, Coriarii, Pelliones, & ipsi sordidi sunt opificii*, sordentisque, ut qui illiberalē ac sordidam artem nō xīdov, id est, lucri causā exerceant, coriumque aut pellē parent, præparent.

X I V

*Textores & Pannifices*, ut non ita sordidi, ita sordidi sculi in comparatione, præsertim si corpori, nō tanquam domino, telam parent, sed tanquam servo, sic dicti, illi, vel à tegendo, vel à mīcū, hoc est, filorum doctā coordinatione, hi verò à panno & pannificio, uti placet originatoribus.

X V

*Tinctores sive Infectores* à sorditie hāc non extant immunes, diversi interim ab Offectoribus. Infectores namque sunt, qui alienum colorem in lanam conjiciunt, offectores vero, qui proprio colori novum officiunt. Utrosque rejicit Basilius, qui omnem abscisē damnat tincturam. Nam neque ad frigus, inquit, propulsandum valet, neque ad tegumentum habet aliiquid amplius, quam alia vestis, nisi solum vituperium: Quod si oporteat aliquem alium colorem querere, naturalis veritas per se tinctura sufficiet. Quam ejus sententiam, quemadmodum de curiosā & affectatā tincturā probāssim, ita de tincturā in genere improbabili. Quidni enim licet naturæ addere artem?

X V I

*Fullones hinc & Mangones*, nec ipsi inde excepti, liberativé ab his sordibus, quoniam illi pannos excandidant, vestimenta-

qué nitidant, hoc est, eluunt, atque in unum cogunt, inde cretā  
candefaciunt, sive incretant, hi verò merces manu agunt, id  
est, comunt, ornant, fucant, poliunt, quòd hoc carius vendant,  
& si quid est, quod ipsis displiciat, aliquò lenocinio abscondunt, idqué fallendi proposito, bis improbandi hoc nomine,  
tum quia ita sordidi, tum quia ita improbi. Huc referas licet  
Venalitiarios, qui corpora sive servos nundinantur, hoc est, e-  
munt venduntqué, quos Græci ἀνθεπονηπίλους & αναπτεμόρους  
vocitant, sicut eos, qui canes & equos aluit, mangonizatos in  
ulum porro-venditionis, κυνοτρόφους καὶ ταπεβοσκούς, καὶ ταπεκρύπους.

### X V I I

Sutores & Veteramentarii haud meliori loco sunt in Republicā, ex quibus illi calcos conficiunt, hi reficiunt. Sed cur non  
meliori loco? Quia enim sutores sunt sutores, hoc est, lordidi  
artis professione, sive eos deducas à suo, idqué principaliter &  
proximè, sive à setā, quasi setores, idq; instrumentaliter & remo-  
tè. Quicquid sit, utilis & necessarius eorū ordo in Republicā,  
quia calcei gestamē perutile & pernecessariū, cum ad tegendos  
pedes, tū ad protegendos cōtra obvias offendentes & offendentes.  
Quo sit, ut p̄fret̄ calceati, quām discaleatū incedere,  
utique calceis, quām sandaliis, crepidis, aut soleis. Contra Ly-  
curgum, qui calceorum usu pueris interdixit, quòd ipsa nuditate  
pedes eorum redderentur, & duriores, & expeditiores,  
servituteq; hāc pedum liberarentur. Sanè sandalia crepidæ &  
soleæ agrotantium verius senumque gestamenta cum Phi-  
lostrato, quām juvenum & viorū, calceusque usu suo bo-  
nus, dum ab sit luxuria modò, qualis in Diocletiano, qui gem-  
mas calceis inferuit, Heliogabalo, qui in calceis & ipse ge-  
stavit gemmas faberrimè scuptas, neque unquam calcea-  
mentum iteravit, Carino, qui nisi gemmatā fibulā in calceis  
ulus non est. Calceum verò precisiorem pede sis vide, immò  
toto corpore, quin immò toto homine! Schonborner lib: 3.  
Pol: cap:47.

sup

V-

## X V I I I

*Victimarii, Laniones, Partores, qui ad cultrum emunt pecudes & pecora, ut mox discindendo lacerent, id est, lanient, sordide professionis & ipsi, ideoque olim relegati extra urbem obforudes, præsertim lanii, qui iidem cum macellariis nostris, qui carnes in carnario publicè nostris moribus vendunt. Sed cur amoti ab urbe? Ne, si passim lanienam exercerent, totam urbem redderent pestilentem. Quo consilio & coriarii olim seclusi ab urbe. Corpora siquidem mortua objectat cerdo, ideoque ab urbe separatur. Idem ibidem. Kirchnerus lib: 2 de Fumer: Roman: cap: 24.*

## X I X

*Molitores, Pistores, Coqui, ministerio consimiliter utuntur, quod habet aliquid inquinamenti, ideoque meritò ad hanc classem referuntur. Plusculum tamen interim habet sordium coquinaria, quam vel molitoria, pistoriavè. Vnde cocus antiquitus, tam apud Lacedæmonios, quam apud Romanos, viliissimum mancipium estimatione & usu fuit, illiberalibusque accensitus artificibus, & servilibus, (quanquam veteres Romani coquos nō habuerint in servitiis,) donec paulatim, invectâ Asiaticâ luxuriâ, coquinaria in precio majori esse, &c, quod antea ministerium fuerat, ars haberit cœpit. Atque adeò, fuit fuit tempus, cum ne alpirare quidem homo cocus ad aliquam dignitatem potuit, fuit tempus, cum Lacedæmonie nulli planè tolerarentur coqui, exceptis illis, qui jus atrum coquitarent, fuit tempus, cum qui in coquinariâ paulò peritiores erant, scitamentorum, inquam, fabri, (quibus jungas licet pistores dulciarios, & qui Marzompane Italicum præparant,) urbe exesse juberentur, quin immò fuit tempus, quo pistores planè nulli fuerunt Romæ, fuit etiam tempus, cum coqui & pistores iidem essent, fuit denique tempus, cum, ut coquere, ita panes facere, opus foret mulierum. Schonborner ib: cap: 46. Alexander ab Alexandro genial: dier: lib: 3, cap: 11, ubi memorat, Populum Romanum multa secula, non pane, sed pulte,*

victis, pistoresque per annos ferè sexcentos, usque ad Persicum bellum, nullos Romę fuisse, postmodum verò pistores tostum panem laetioribus coquere solitos, reliquæ autem multitudini far, exinde quæ, quod far pinserent, primi pistores dictos. Quod enim veteribus molarum usus esset nullus, sed fruges igne tostas in pilas conjectas pinserent, hinc pilones nuncupati, pistoresque. *Ibidem*.

### X X.

*Nautæ & ipsi in vili ac sordido opificio versantur, perquam necessario tamen, cum non magis his carere possit aqua, quam terra aurigis.*

### X X I

*Pharmacopæi, Pharmacopœa, Pigmentarii, Aconitarii, Vnguentarii, etiam olim cum lordidis aut inhonestis numerati, quemadmodum de Pharmacopolis colligit Lambinus ex illo Horatii: Ambubajarum collegia, Pharmacopœa.*

Cæterum, sicut Pharmacopœus differt à Pharmacopolâ usu artis, quorum alter ποιεῖ φάρμακον, alter verò πωλεῖ, licet convenienter ulu loquendi ferè, ita uterque differt ab Aconitario, qui & ipse parat præparat quidem φάρμακον, sed calamitosum, unde φάρμακον, venenum, & φαρμακόν, veneficus, omnes à Pigmentario, qui colligit ac deponit herbas in xenone, Vnguentarioque, qui curat atque accurat unguenta, quod genus hominum lordidis opificibus immiscet Plutarchus, aquæ Lacedæmoniis urbe pullum refert Seneca, qui ipsi Augusto vitio datum fuisse recenset, quod patrem habuisset unguentarium. Schonborner lib: 3. Polit: cap: 47. Arnisius Doct: Polit: p. 313.

### X X II

*Chirurgi & Barbitonores ejusdem sunt classis. Quamvis enim professio chirurgorum non sit lordida à priori, seu ratione artis, est tamen à posteriori, sive ratione usus atque exercitii, & istorum Clericis interdictitur, forte etiam ob immanitatem, quam habet conjunctam in speciem. Vetustissimi interim instituti, cum horum mentio fiat apud Homerum, excul-*

taqué sit chirurgice in Ægypto à Philoxene , in Græciâ ab Hippocrate, Gorgiâ, Sostrato, Hierone, duobusqué Apollo- niis, in Italiâ porro à Tryphone & Evelypto. Est autem chirurgi vocabulum sane quām generale , significans omnem o- perarium manuarium, chirurgiæ quoque vocabulum commu- ne, denotans omnem artem , quæ actionem habet connexam cum manuum operatione , strictè verò & propriè magis dici- tur de cā parte Medicinæ, quæ sectione, unctione, aut aliâ quâ- vis ratione, quæ manu administratur, vulnera curat : Vnde chirurgi medici vulnerarii audiunt aliter. Quod attinet Bar- bitonsores, horum officium fuit olim ignotum, & flagitii loco habitum, raderequè adeò barbā servitutis fuit indicium, de- ditionisqué, & in genere calamitatis , quā privatæ, quā publi- ce, ignominia quin etiam & ludibrii, immò pœnæ, fuitquè adeò tempus, cum pro delicatulis lunc habitu in seculo intōso, qui barbam rasitâsent. Primus sanè, si arcuas antiquitatis ex- cutiamus, è Siciliâ Romam hos adduxit P. Sicinius. Hinc ob- tinuit, ut juvenes raderent barbam, institutumquè id mansit usque ad annum quadragesimum. Ab urbe interim conditâ usque ad annum 454 juvenes pariter ac ienes intonsi fuerunt, primusqué, qui barbam quotidiè rasitaret, traditur fuisse A- fricanus, cuius exemplū postmodū secutus Augustus. Apud Cretenses illud equidem loco pœnæ fuisse invenio, siquidem barba teneretur, idquē ipsum etiam apud Turcas obtinere autor Leunclavius. Nec desunt, qui hanc stupri pœnam fuisse afferant, securi barbas præcidere publicè hujus flagitii convi- ctis, infamesqué dimittere. Atque adeò, nescio quid non con- tetus sapit n̄ vellere barbam, quę phrasis in proverbium abiit, & valet idem, quod contemnere. Quid ergo? (Nam hoc fortè dicat aliquis:) An ergo omnis rasura tonsuravè promiscuè im- proba atq; improbanda? Minimè gentiū! Non utiq; in affectata, necessariaquè, persuade, si vel illa vel ista adhibeatur , ne pili capit is nimiū luxuriantes visum impedian , & qui in supe-riori labri sunt parte, inter comedendum obstaculum aliquod

objiciant, molestiam vē creent. *Vide Clementem Alexandri-*  
*num lib: 3. Padag: Cap: 2. Vætium Disp: Theol: 5. de Excelsi Mund:*  
*part: post: shes: 5.*

### X X I I I.

*Vitriarii, sive Fusores Vitri, claudunt hanc classem, quorum  
vitrifactura & ipla accentetur artificiis loddidis : Non item,  
saltēm non æquē, institoria eorum vitriariorum, qui fusis vi-  
tris utuntur, fusiliaque vitreamina vendunt, quorum condi-  
tio melior in comparatione.*

### X X I V.

*Artifices & Opifices, quorum opera sunt dorūmātata, sunt cum aliis,  
tū isti : Typotheta & Typographi, Bibliopegi & Bibliopol & Minutarii,  
Librarii, Sartores ac Sarcinatores, Tabellarii, Tabellarii, Cursores, Ba-  
juli, Fossores, Lignatores, Caudicarii, Vespillones, Apparatores, Li-  
ctores, Carnifices. Dicuntur dorūmātata, quia in his plurimus est  
corporis, nullus aut perēxiguus animi atque ingenii usus.*

### X X V.

*Typotheta, Typographi sive Chalcographi, Bibliopegi & Bibliopo-  
la Minutarii, Librarii que, artificii quidem longē sunt utilissimi,  
compendiosissimique, verūm non nihil servilis tamen. Honer-  
stior interim universē bibliopegorum, quām typothetarum  
aut typographorum, professio in comparatione, saltēm tuti-  
or, & magis innoxia, quām vel ipsorum bibliopolarum, libra-  
torumque, quorum petulantiam inordinationemque nullo  
non tempore coēceruerunt leges. Neque immeritō. Si enim  
Imperator descriptoribus ex quācunque occasione imponit  
manus amputationem, quidni eadem maneat poena typogra-  
phos & bibliopolas, qui venenum librorum infectorum spar-  
gunt, & quidem celerius, quām vel librarii antiqui, minorique  
adē cum precio & labore? Quod si quoque etiam pœnā digni  
habiti, qui famosos libellos ediderunt, scripserunt vē, & qui in-  
ventos non consumserunt, cur non multō magis nostri hi, quō  
sic honori bonorum consulatur, & improbitas ac licentia ma-  
lorum fortiter comprimatur, quæ solet esse multō maxima?*

Si-

Sicut enim nihil, proh dolor, tam male impiè & stultè dictum factum scriptum vè, quod non inveniat suos prosecutores, ita nihil nihil tā benè piè & sapienter dictum factum scriptum vè, quod non contrā inveniat suos persecutores. Annon enim quidam, & ii quidem benè multi, in Platone notant confusione? Annon sepiam alii vocant vocitant Aristotelem? Vsurpatorem nonnulli Virgilium? Ipsi ipsi quin Ciceroni haud placet semper Demosthenes, neque vel Cicero iterum Sallustio, vel Pompejo Togo Livius. Sallustium Catonis ineruditum furem & affectorem non semel appellat Asinius, Senecam, tanquam calcem sine arenā, domi ridet Quintilianus, hunc iterum alii domi item suæ. Reperti deinde autem, qui Azonem ICtum nuncuparēt Agasone, Lustnianum Analphabetum, Bartholom Battum, Baldum Bardum. Sed nec Homero pepercit Homeromastix Zoilus, vel Mænandro Cæcilius, qui sex libros scripsit de ejus furtis, sicut Lysymachus de furtis Ephori libros duos, & Philostratus Alexandrinus de Sophoclis furtis consimiliter. Verùm ad rem, sive rhombum. Quòd si lege Cornelii de sicariis & veneficiis, qui venenum hominis causā necandi fecerit, vendideritvè, vel saltem habuerit, plectitur, eò quòd plus sit veneno quam gladio occidere, uti &, qui scivit venenum eā causā comparatum, neque detexit tamen, & qui emit, inquam, & qui vendidit, quidni poenā digni sint, qui virus perniciosorum librorum edunt, distrahunt, emunt, fervant? Pluris siquidem est animus, qui inficitur, quam corpus. Denique si expositores falsæ moneta scientes poenā cādem puniri debent, quā qui adulterārunt, atque adinstar eorum, qui scienter falsis instrumētis utuntur, ponderibusvè, quidni pari poenā afficiundi nostri hi homines? Dico scienter. Potest enim fieri, ut, verbi gratiā, bibliopola sit expers litterarum, librosqué sibi datos vendendos improvidè exponat, aut illis, quibus eos habere non licet, vendat, qualis à poenā excusandus quidem, verūm in tantum, non in totum, cùm imperitia culpę annumeretur, ignorantiaque juris non habeat excusationem. Sed &

non

non carebunt suspicione bibliopolæ , siquidem clam vendant  
hujusmodi libros, quoniam fraudis tunc suspicio delictum au-  
get, malamque testatur fidem. Accedit autoritas sacro sanctæ  
antiquitatis, quæ Protagoram, cùm in aliquo loco in hunc mo-  
dum cœpisset : De diis quidem statuere nequeo, neque an sint,  
vel non, conjectare : Ob hoc principium profani operis urbe  
eum movit, libris ejus in foro cōcrematis, & sub prœconis vo-  
ce à singulis, qui illos habebant, investigatis. Id quod ipsum  
quoque senatus censuit de libris religionis, in arcâ Numæ in-  
ventis, quos in comitio exussit. Sed & Lacedæmonii libros  
*Archilochi* è civitate exportari jusserunt, quòd eorum pa-  
rum verecundam & pudicam lectionem arbitrarentur: Quo  
consilio in Synodo Thessalica etiam Heliodori Æthiopica, eò  
quòd amatoria tractarent, damnata, & ab ipsomet Ovidio  
doctore *mū ipulnār*, Callimachus, Philetas, Anacreon, Sappho,  
Tibullus, Cornelius Gallus, haud alio nomine. *Tholofanus lib:*  
*12. de Rep: cap: 7.* & *lib: 17. cap: 8.* Sed hæc ad tribunalia & tri-  
bunos publicos pertinent scilicet, non ad pulpita Academica,  
nisi forte in thesi.

### X X V I

*Sartores ac Sarcinatores* proximè quidem accedunt studii vi-  
cinitate, illi ad sutores, hi ad veteramentarios, at non item  
lorditie: *Δούλινγι* interim, hactenusque probandi, quatenus  
non concinnant vestes contra leges vestiarias, taleisque, in  
quibus nihil, quo defendi, aut corpus, aut pudor, posset, qui-  
busque adeò sumtis mulier parùm liquidò nudam se non esse  
juret, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in pu-  
blico, ostensura, atque ita quidem ostensura, ut nihil in cor-  
pore uxoris suæ plus maritus, quam quilibet alienus agnoscat.  
*Impudenter, impudenter, immò impudicè!* *Schonborner lib: 3.*  
*Polis: cap: 47.* *Seneca lib: 7. de benef: cap: 9.* *Tertullianus de cult:*  
*fæm: cap: ult.*

### X X V I I

*Tabernarii* & ipsi servum pecus. Vnde Clemens Quintus  
Cel-

ricos, tabernariam institutorum in morem exercentes, exautoravat, ingrediisque tabernas hos vetuit, excepto casu peregrinationis, nimiam quoque tabernarum & tabernariorum frequentiam leges civiles inhibuerunt, intuitu magni abusus. Abique quo sit, si tabernæ non sint officinæ voluptatum, aut receptacula furunculorum, latrunculorum, lenunculorum, tabacipotatorculorum, neque nimis multe sint numero, sed definitæ pro necessitate, equidem non video, cur non liceat, ut exercere cœnaculariam, ita tabernariam cauponiamqué, licet professio ipsa minus sit ingenua. *Vide Clarissimum Vaticum, disp: Theol: 3. de Excel: Mundi, thes: 6.*

### X X V I I I

*Tabellarii & Curores* sunt tantum non idem Reipublicæ, quod corpori nostro pedes, *Bajuli*, quod humeri, *Fossores* verò, *Lignatores*, & *Caudicarii*, qui ejusdem commatis cum lignatoribus, si minus re, minimum usu, quod manus. Illud tantum hic observandum in transitu, differre tabellarium à librario, eò quod hic sit scriptor tabellarum è libris, ille verò portitor, necnon à tabulario sive tabellione, qui scribit quidem tabellas & ipse, sed in specie publicas, easdemq; custodit: Differre itē fossorē à fossario, sicut lignatorē differre dicimus à lignario, quorum alter fossatum facit, alter locat faciēdū, alter ligna colligit & cædit, alter verò vendit & locat cædenda, ut ut lèpè lignarius generaliter pro ligni opifice sumatur: Differre denique nō bajulare, portare, & ferre, ita ut tam bajulare, quam portare, sit proprièt̄ sive onus propriis humeris ferre, sed & bajulare corporis tantum, & portare etiam animi, aliquandō quin etiam plus, quam ferre.

### X X I X.

*Vespillones* generali notione comprehendunt sub se Libitinarios, Bustuarios Sandapilarios, Atratos Anteabulones, Precones Ferales, Pollinætores, Preficas, adeoq; duobus verbis, totum genus τῶν Νεκροφόρων ή Νεκροπλεων, quoru illi cadavera defunctora ad sepulturam deferebant, hi verò ad eā parabant ac præparabant,

M

bant,

bant, utrorumque munus minùs fuit liberale atque ingenuum, sed magè tamen vel pillonum, qui sic dicti, non tam à vespis, quàm à vestium spoliatione, aut à vesperâ potius, sicut pollinctor, non tam à pelle & ungo, quasi pellunctor, sive pellis unctor, aut à polio & ungo, quasi polinctor, id est, poliens unctor, quàm à polluo & ungo, quasi pollunctor, id est, pollutorum unctor. Vide sis Institut: meas Oeconom: lib: 1. cap: 11. p. 436.

XXX

Denique Apparitores, Lictores, Carnifices, quorum opera admodum fuerunt cognatae, sed distinctæ tamen. Apparitor namque jus ligandi tantum habebat in civilibus, lictor vero etiam in criminalibus, qui antiquitus carnificum haud semel officium fuit functus, neque tantum reis in carcere custodiendis præfectus, verum & carnibus ex homine faciendis, id est, mutilandis damnatorum membris, præpositus, id quod proprium erat carnificum. Sicut enim apparitor nomine accepit ab apprendendo, quod magistrati semper appareret, lictor, vero, non tam à litando, quasi litor, quod litaret, hoc est, interficeret reos, tanquam ~~λειτουργος~~ publicus, quàm à ligando, vel quod, cùm magistratus quē virgis verberari jussisset, crura ejus ac manus ligaret, ligatos vē virgarum falces gereret, sic carnifex à facienda carne denominationem accepit, hoc est, inde, quod faceret, ut corpus vivum fieret caro, id est, mortua. Vt rorūque, id est, tam lictorum, quàm carnificum, officium moribus fuit probossum, adeò ut non ipsi tātum pro infamibus haberentur, verum etiam filii eorum, filiæque, præsertim apud cascos Romanos, apud quos lege cenloria fuit cautum, ne quis carnifex esset civis Romanus, neu in urbe domicilium haberet, nevē concioni interesset, ne ejus præsentia illa tunestaretur, necessarium interim, licet horridum & horrendum, lordidumque, vel quod, natura ipsa humana hujusmodi homines aversaretur, qui exequuntur mortis etiam meritæ supplicium, vel quod plerunque essent homines notae hanc bone, qui eliguntur ad hoc officium, vel quod ad sordida

da ministeria ferè adhiberentur, velut ad cloacas purgandas,  
ad cadavera excorianda. Etc. Ibidem p. 437. Vide Besoldum disp:  
2. de Iure Ordinibus quæ Civium, Cap: 11. sect: 4. Hænonium disp:  
Polit. 2. thes: 51. Berneggerum quæst: miscel: 37.

X X X I.

*Artifices & Opifices*, quorum opera sunt à ypsaratu, sunt cùm aliis,  
tum nominatim sequentes: *Vnctores*, *Balneatores*, *Fornacarii*, *Media-*  
*stini*, *Scoparii*, *Ianitores*, & *Portitores*, Dicuntur à ypsaratu, quia  
in his nullus virtus est usus, sive animi, sive corporis.

X X X I I.

*Vnctores* sive *Aliptæ* in eo dissident & disconveniunt cum  
unguentariis, quod hi unguenta arte parent præparent, illi  
vero paratis ac præparatis utantur in commoda utentium, hoc  
meliores, quod unctores valetudini, unguentarii voluptati in-  
serviant, qui propterea cùm aliis urbibus, tum spartâ, sunt eje-  
cti, ed quod suppeditarent materia luxus maximè supervacui.

X X X I I I.

*Balneatores* unctoribus proximi in hoc ordine, quoniam in  
balneis ferè veteres inungebantur. Quæ duū generum. Alia  
enim sunt *Publica*, alia *Privata*, illa balneæ propriè, hæc balnea.  
Istud hic de officio, ut balnea publica pro diversitate sexuum  
sint distincta, & diurna potius, quam nocturna. Vniversè in-  
terim præferuntur privata. Quanquam nonnunquam etiam  
balneæ private à privatis hominibus publicè possint queat præ-  
beri. Qui ignis in fornace balnei accendendi curam habent  
& gerunt, *Fornacarii* dicuntur, suntquæ iidem cum fornaca-  
toribus, sed distincti à furnariis tamen, sicut fornax à furno.

X X X I V.

*Mediaстini* nomen inde habent, quod medijs in ædibus stent  
ad obsequia, quod ad eujutvis jussa atque imperata præstò sint,  
viliissimæ & abjectissima quævis munia obeant, sic dicti à  
medio & stando potius, quam vel à medio & dænu, vel à medio  
& stabulo. Quamvis alii simplicius nomen hoc deducant à  
medio, ita ut reliquum in vocabuli productione sit numeran-

dum potius, quam ponderandum mensurandumque, sicut  
melonautam hoc modo dicimus, qui est medius inter nau-  
tas summos & imos. Ne id quidem adeo male.

X X X V

*Scoparii* sic dicuntur, eò quod scopent vel scopant, hoc est,  
scobem seu pulverem everrant, fordanientq; pavimenta pur-  
gent. Quo sit, ut scopæ sint & maneant scopæ, hoc est, viles  
& abjectæ, sicut & illi, qui has tractant.

X X X V.

*Ianitores & Portidores*, alteri à januâ nomen assumerunt, al-  
teri à portâ, cui aperiundæ & claudendæ sunt præfecti. Dis-  
serant differunt enim, ne erres, janua & porta, illa parietis &  
domorum, sic nominata à Iano, cui consecratum omne prin-  
cipium, hæc urbis, arcis, munitionum, castrorum, sic dicta à  
portando, hoc est, importando atque exportando. *Consulesis,*  
*Institutiones meas Oeconomicas p̄allegato libro & capite, unde ple-*  
*raque omnia petita.*

X X X V I I

Quid juris, & quivè? Omnesne hi cives indifferenter? Equi-  
dem distinxerim, primò inter civem plenum & semiplenum,  
hinc inter formam Republicæ astrictiorem & liberiorem, de-  
mùm inter artifices superiores atque inferiores. Illi cives ple-  
ni fortean esse possint, vel in Republicâ restrictiori, saltem li-  
beriori, hi non item, nisi forte semipleni. Quâ de re sic Be-  
soldus: Qui disputant, an inter cives opifices sint numerandi,  
næ illi sumunt nomen civis pro pleno cive, sive, prout in de-  
mocratiâ habentur cives, & ab Aristotele definiuntur, qui  
οὐκέτι οὐτεώς, honorum, dignitatum, suffragiorū, ac judiciorū,  
sunt participes pleno jure, quomodo nōmē civis, meo judicio,  
vix competit artificibus, nisi forte superioribus. Cùm enim  
in optimâ Republicâ civis esse debeat perfectissimâ virtute  
præditus, non possit autem virtutem sectari, qui vilioribus o-  
pificiis vitam traducit, civem plenum talis agere qui possit?  
Aut, qui minutis occupatus, civiles, hoc est, sublimes & ge-

neroſos concipere ſpiritus? Romæ profeſtò nemini quoniam licuit civium exercere opificium , nemoquè adeò civis Romanus potuit eſſe ſartor aut futor , ſed omnes oportebat eſſe , vel ociolos , vel milites . *Difſert : 2. de Iure Ordinibusque Civium , cap: 3. num: 7. & cap: 11. num: 3.* An verò è civium numero nominatim excludendi Pantomimi , Hiftro-nes , Ludiones , & hujusmodi voluptatum artifices , ac corruptionum adminiſtri , nec non Carniſices , *de hoc dubio vide ſis eu-ndem ibidem , num: 4. & Piccartum in Obſerv: Historico-Politicis , dec: 4. cap: 4.* Pro carnificis admiſſione ſtat , quod apud Iſraēli-tas populum legitimus lapidavifle condeſnatos , ab eovè , qui proximus à rege erat , mortis reum interfectum , quodq; apud Romanos ipſe Imperator quandoque fertur occidiſſe delin-quentes , nec non tribuni olim ſuā manu ſupplicia ſumtiſſe . Et quid queſo carnifex aliud , quām iuſtię minister lecun-dariuſ? Cōtra verò admiſſionē pantomimorū , hiftriōnū & ludio-nū facit , quod Theologus Afer Tertullianus nimis quām vere theatra gentium appellat confiſtoria impudicitiæ , Veneris ſacraria , arcem turpititudinum , ſtuprandisque moribus apta conciliabula , in quibus , teſte Auguſtino , omnia pietati & ho-nestati contraria fiunt , tanquam in publicis impudentiæ ludis , in quibus propterea eodem facinore obſtringitur ſpectator cum auctore , paremquè cum manibus & pedibus noxam con-trahunt oculi aures & linguae , quoniam quod faſere vetitum , idem & adſpicere & audire & loqui vetitum . Quæ cauſa præcipue movit Solonem , cur Thespim Tragœdium acerbè incre-pitaret , cauſantique , jocum eſſe , reſponderet , baculo terræ impa ctō , jocum illum ſeria ſecum ducere . In cuius maſculum dictum defino .

Cerol-

Corollaria Respondentis.

I

**A** N princeps sit legibus solutus ? *Dist.*

II

*Utra sit major, Republicænè universæ, an regis solius potestas?* *Aff:* *Prius.*

III

*An Christianis competit funditio magistratus politici, ipsis liceat bella gerere, fontesque gladio punire?* *Aff.*

IV

*Utrum Pontifex in omnes principes potestatem habeat? Et, an reliqui sacerdotes atque episcopi negotiis secularibus se debeant immiscere?* *Neg.*

*An*

V

An subditi possint & debeant resistere Tyranno? Aff.

VI

An, qui fœminam regni hæredem dicit, etiam acquirat majestatem? Neg.

VII

An filii, ante acceptam à patre nobilitatem nati, privilegiis nobilitatis fruantur? Aff.

VIII

An non Iudæi sint tolerandi quidem, sed non Remp: admittendi? Aff.

Ad

*Ad ornatissimum dominum*

## RESPONDENTEM.

**C**Ivicus ordo suos Patronos haec tenus omnis  
Arbitrio docti Praesidis obtinuit:  
Hujus cura illis, de toto corpore soli  
Qui superant, temet, qui tueare, dedit.  
Spartam nactus habes, Weidnere, insignis amici  
Nate mei, egregiam: Condecoranda tibi est.  
Hoc facis, ac facis hoc, ut nulli plura priores  
Debuerint, debet quam tua turba tibi.  
Per facile est, nulla defendere lite petitos,  
Quos multi carpunt, difficile afferere est.

*Abrahamus Bocstadius.*